

Boncompagnus de Signa

Eram in domo patris mei tenera

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Boncompagnus de Signa

Eram in domo patris mei tenera

1194-1195

Eram in domo patris mei tenera et in utriusque parentis conspectu plurimum amabilis, quando per venativas adulationum blanditias me traxisti minus provide in laqueum deceptivum. Nunc vero non audeo alicui propalare mei vulneris causam, et tamen scitur in platheis quod gessimus in absconso; vultus pallet, tumescit venter, reserantur claustra pudoris; fama plebescit, laceror assidue, subiaceo verberibus, requiro mortem; unde non est dolor similis meo dolori quia famam et honorem cum flore verginitatis amisi. Nam ad inenarrabilis anxietatis augmentum factus es michi penitus alienus, nec illius aliquatenus recordaris cui maria promittebas et montes et universa que celi ambitu continentur. Similibus enim laqueis auceps decipit aves et piscis ex pelago tali trahitur hamo. Sed nichil prodest michi quod reffero, quoniam qui ex alto cadit irremediabiliter corrui et frustra remedium queritur ubi periculum precurrit.

Succurre michi, queso, tandem, et si non vis prebere iuvamen, inspicias saltem quomodo pro te morior; et utinam morerer! Quia minus malum esset mori quam vivere omni tempore cum pudore.